



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 813. Usque Ad Annum 859

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117867**

§. 35. Capitulare Espernacense.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66103](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66103)

Sæculum IX.  
A. C. 847.

§. XXXV.

*Capitulare Epernacense.*

Episcopis Regem Carolum continuo urgentibus, ut Articulos Reformationis, quos ipso iubente in Conciliis Meldensi & Parisiensi partim condiderant, partim collegerant, sua Auctoritate firmaret, tandem mense Junio Comitatu peculiaria Epernaci ad Matronam amnem in Diœcesi Remensi convocavit; ubi salutaria Episcoporum monita usque adeo fuere contemptui habita, ut vix alterum hujus rei exemplum inter Principes Christianos in tota Historia Ecclesiastica occurrat. Ita nempe hac de re scribit Auctor illius temporis; in titulo præmissio autem Capitulorum in Villa Epernacensi excerptorum dicitur: *Hæc sequuntur Capitula excerpta sunt ex Capitulis anno octingentesimo quadragesimo sexto ab Episcopis in Synodis suis, nempe a Gundebaldo, Ursinaro, Hincmaro, & Amalone cum Suffraganeis suis editis, & Regi, sicut ipse jusserat, traditis, ut Epernaci Villa Ecclesie Remensis relegerentur. Et quia factione quorundam Procerum animus ipsius Regis contra Episcopos commotus est, remotis & exclusis ab illo Concilio Episcopis, ex omnibus illis Capitulis hæc tantum observanda collegerunt, scriptaque Episcopis*

*Ann. Bert.*  
846. to. 2.  
*Capit. p. 30.*  
to. 7. Conc.  
p. 1852.

*pis tradiderunt, dicentes, Regem & ipsos* Sæculum IX.  
*nihil amplius de eorum Capitulis acce-* A. G. 847.  
*ptasse.* Urfmarus erat Archiepiscopus  
 Turonensis, & Amalon Lugdunensis, qui  
 in Conciliis præcedentibus non nomi-  
 nantur.

Articuli Epernacenses sunt numero  
 novemdecim; quippe ad hanc paucita-  
 tem Proceres octoginta Canones Mel-  
 denses redegerunt, & positis illis, qui ad  
 Ecclesiasticos spectabant, omnes ceteros,  
 qui ad emendandos ipsorum Laicorum  
 mores tendebant, rejecerunt.

## §. XXXVI.

*Saraceni Romæ.*

Interim Itali semper Saracenorum arma Ann. Fuld.  
 vel experiebantur, vel timebant. Cum & Bertin.  
 volveretur annus octingentesimus qua- 846. Anast. &  
 dragesimus sextus Saraceni ex Africa, in Leon. IV.  
 qui & Mauri dicebantur, mense Augusto  
 Tiberi adverso Romam devehuntur, &  
 quia muros superare non poterant, Ec-  
 clesias S. Petri & S. Pauli extra urbem  
 positas diripiunt, omnem cultum & di-  
 vitias, atque etiam Altare argenteum,  
 quod erat supra sepulchrum S. Petri, au-  
 ferunt. Relicta Roma Fundos perve- Chr. Cassin.  
 niunt, quam civitatem cum, multis in- l. I. c. 27.  
 terfectis, igne succendissent, captivos se-  
 cum trahentes mense Septembri prope  
 Cajetam castra metantur. Missæ a Præ-  
Hist. Eccles. Tom. XI. Ff fecto